

PROGRAMM

des

Victoria-Gymnasiums zu Burg

mit welchem

zu der am 9. April 1878 stattfindenden

öffentlichen Prüfung der Schüler

und

Entlassung der Abiturienten

im Namen des Lehrer-Collegiums

ergebenst einladet

der Director

Dr. Albert Hartung.

XIV.


- Inhalt:** 1) De fide et auctoritate orationis Ciceronianae quae inscribitur de haruspicum responso. Vom Gymnasial-Lehrer **Wilhelm Hoffmann.**
2) Schulnachrichten (darunter ein kurzer Auszug aus den sämtlichen Lehrplänen der Anstalt). Vom Director.

Burg, 1878.

Druck von F. W. Colbatzky & Sohn.

BURG (1878)

1878. Programm No. 187.



Oratio de haruspicum responsis, quae inter Ciceronis orationes tradita est in omnibus codicibus, ante Marklandum omni carebat apud viros doctos suspicione. Cum vero is quaestionibus quibusdam Tullianis anno 1745 editis hanc orationem cum tribus illis post reditum in senatu, ad Quirites, pro domo habitis a Cicerone plane abjudicavisset, magna exorta est contentio, quae usque ad nostrum fere tempus est producta.

Nam paucis annis post suam sententiam opposuit ei J. M. Gessner, latini sermonis existimator vel doctissimus, qui duabus praelectionibus in Univers. Gotting. 1753 et 1754 habitis, omnia Marklandi crimina propulsare atque illas orationes rursus Ciceroni vindicare conatus est. Cum Marklandus nullum omnino verbum respondisset, decem prope lustris interpositis (anno 1801) Angli sententiam ita desertam suscepit atque novis argumentis rationibusque confirmavit vir inter philologos qui dicuntur gravissimae auctoritatis Fr. A. Wolfius. ¹⁾ Statim erat omnis controversia dijudicata, tota causa perorata, et omnes, quibus antea satisfecerat Gessneri liber, prorsus adstipulati sunt Wolfio, neque facile quemquam invenias illis sequentibusque temporibus, qui aliter sentiat. Itaque, qui proximis deinde annis ediderunt denno Ciceronis opera, has quatuor orationes una voce omnes condemnaverunt atque in finem voluminis tamquam spurias relegaverunt.

Ita fecerunt Beck in Cic. op. 1807 edit. p. IV., 4. pag. 612—627 atque in excursu critico novas quasdam rationes Marklandi et Wolfii argumentis addidit.

Deinde Schütz in Cic. op. 1816 editis, qui in prolegomenis his orationibus praemissis t. VIII p. III seq. et p. XXV—XXX pauca quaedam e suo ingenio ad confirmandam suam sententiam profert.

Tum Nobbe in op. Cic. 1827 den. edit. pag. 554, omnia argumenta Wolfii Beckii, Schützi vehementer probat et omnia omni controversia ab accusatorum se stare partibus confitetur.

Porro Orelli in edit. 1826—1836 orationes illas quidem non de suo loco movendas ²⁾ putat, attamen primo dubitans postremo eas plane rejecit.

¹⁾ Wolf, M. T. Ciceronis quae vulgo feruntur orationes IV post reditum recognovit, animadversiones integras Marklandi et Gessneri suasque adjecit. Berol. 1801.

²⁾ Orelli onomast. Tull. I, p. 68, quamquam etiam nunc incertus sum, utrum accusatorum an patronorum partibus adscribam Orellium quum maxime respiciam haec verba ejus fragmento veteris cujusdam Scholiastae in or. post red. in sen. praemissa: redeat igitur vel potius maneat suus his orationibus honor, atque haec controversia, quantum auguror, propemodum definita, documento sit, ne facile scripta veterum ob aliquot conjecturas de suis sedibus deturbare velimus. Orell. Cic. Scholiastae V, II, 247 et 248.

Denique Kayser in ea editione op. Cic., quam Baitero et Halmio adjuvantibus curavit prooem. p. IX vol. IV (1862—1864) rem diligenter perscrutatus Wolfio et Marklando prorsus assentitur et quatuor illas orationes post reditum habitas simpliciter declamationes appellat plane a Ciceroniana arte abhorrentes.

Ex magno vero eorum numero, qui sive auctoritate sive argumentis Wolfii et Marklandi permoti orationem de haruspicum responso, de qua hic potissimum agendum est, Ciceroni eripere non dubitaverunt, spectatissimi sunt:

Niebuhr, römische Geschichte I. p. 597.

Madvig, de Qu. Asconii Ped. et aliorum vet. interpr. commentariis. 1828.

Reisig, Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft. 1839 p. 476.

Ritschl, parerg. Plaut. et Terent. 1845 p. XX. scriptor illius orationis, quem Cic. non esse certum est.

Kempf, ad Valerium Maximum edid. recens. 1854. I, 1 p. 106 II, 4, 3 p. 191.

Bernhardy, Grundriss der römischen Literatur. ed. III. 1857 p. 684 et ed. V. 1872 p. 819.

Neue, latein. Formenlehre pars II. pag. 60 al. 1866.

Nuper denique Pompe van Meerdervoort in peculiari quodam scripto praeter Wolfii et Marklandi argumenta vehementer sibi probata, permulta nova atque inaudita crimina *voðeias* in hanc orationem conflavit. ¹⁾

Atque dum inter vivos versabatur Wolfius nemo, quod equidem sciam, cum eo contendere ausus est de fide et auctoritate hujus orationis triumque aliarum, tantum valuisse videtur nomen et auctoritas magni viri. Compluribus demum annis post mortem ejus voces auditae sunt: non esse plane rejiciendas illas orationes atque exstiterunt, qui orationis de haruspicum responso paene jam condemnatae susciperent patrocinium. Atque Savelsio laudi est tribuendum quod primus nomen Ciceronis retinere conatus est in libro: de vindicandis Ciceronis quinque orationibus Colon. 1828.

Eodem anno Otfried Müller in libro, qui inscribitur „Etrusker“ II p. 6 not. 16 — et p. 10 n. 31 — p. 23 n. 11 edixerat: Cicero (ich setze den Namen mit Vorbedacht) de haruspicum responso. Sequutus est Hand, Hall. Encycl. XVII p. 221, qui in eo tantum discrepat, quod illas orationes per scribas calamo exceptas putat atque imperitorum curis postea editas. Porro nostram orationem Ciceroni tribuit Stuerenburg ad or. p. Archia 1832 p. 153. Tum Ciceronis esse eam contendit novisque argumentis confirmavit, Drumann, Geschichte Roms II, 1835 p. 331 V. 1841 p. 471 et p. 702. Deinde Lucas in quaest. Tull. spec. 1837 p. 6. et nostram orationem et tres alias post reditum habitas a Tulliana manu quidem esse profectas putavit, multis vero corruptelis et interpolationibus inquinatas. ²⁾

Neque minus Klotz in editione sua „Cicero's Reden“ III, 1839 praefatione et commentario Marklandi et Wolfii crimina diluere studuit nostramque orationem Ciceroni sine ulla dubitatione restituit, pari modo in: Handbuch der Literaturgeschichte I, 1846 p. 25 squ.

Ad eandem sententiam accesserunt Bähr, Geschichte der röm. Literatur II, 1845 p. 276 et IV. 1869 p. 428—432.

¹⁾ S. P. Pompe van Meerdervoort, specimen inaugurale literarium Lugd. Batav. 1856 continens: annotationes quasdam ad orationem quae Ciceronis fertur de haruspicum responsis, cujus in tertia parte p. 41—87 dubitationes quasdam de usu et de compositione verborum et sententiarum profert.

²⁾ Scripsisse et edidisse Ciceronem de iisdem argumentis orationes demonstrare conatur, 2. tum veterum testimonia confert 3., denique nihil Cicrone indignum inesse docet.

Hermann C. F. Gesammelte Abhandlungen und Beiträge zur klass. Literatur 1849 p. 35. n. 46. Deinde Lahmeyer in dissertatione sua orationis de harusp. responso habitae originem Tullianam defendit 1850. Jam augetur hoc docto viro auctore atque duce manus eorum, qui a Gessneri stant partibus, atque postea sive ut genuina usi sunt nostra oratione, sive eam ut Ciceronianam laudaverunt v. d.

Halm in ea editione, quam cum Baitero curavit II, 2 praef. IX.

Mommsen, Römische Geschichte III, p. 308. Brückner, Leben des M. T. Cicero 1852, praef. p. XI. F. Hofmann, ausgewählte Briefe Cicero's 1860 p. 83. Tischer in ann. ad or. p. Murena 1861 p. 51. Lange de legibus Aelia et Fufia 1861 p. 6. Naegelsbach, latein. Stilistik p. 66, 76 aliis locis.

Teuffel, über Cic. Character u. Schriften 1863 p. 12.

Marquardt, röm. Privatalterth. I, 1864 p. 58, 129.

Teuffel, Geschichte d. röm. Literatur 1870 p. 263.

Boissier, Cicero und seine Freunde übers. v. Döhler, 1869, p. 274.

Merguet, Lexicon z. d. Reden des Cicero, pars I, 1878.

Sorof, Cicero de orat. praefat. p. 24. 1875.

Cum igitur tot tantique viri et inter philologos, qui dicuntur, spectatissimi vehementer dissentiant de hae caussa, haud facile profecto videtur colligere sanum atque incorruptum iudicium, cum maxime recordemur Wolfium²⁾ hanc nostram quaestionem talem dixisse, qualem²⁾ cognoscere qui operae pretium ducerent, esse omni tempore paucos, pauciores qui id facere possent, sed qui iidem et vellent et possent longe paucissimos. Cui selectorum numero num ipse adscribar, quoniam jure dubito, hoc certe praestare constitui, ut, si non potuisset, tamen voluisse sustinere illud munus viderer. Itaque primum acriter ac diligenter id egi, ut mente integra, nulla praeoccupatus opinione, ad hanc caussam examinandam aggrederer. Legi orationem de haruspicum responso quasi nunquam eam antea nossem, tum ad alia Ciceronis scripta transgressus orationes deinceps fere omnes studio atque industria perlegi, ut mihi intimam illam cum Cicerone familiaritatem compararem, quam Wolfius³⁾ summo jure requirit iis necessariam, qui in hac re dijudicanda aliquid proficere velint. Neque minus Marklandum secutus a nonnullis orationibus, quibus ne levissima quidem suspicio adhaeret, transii⁴⁾ protinus ad nostram percensendam, ut comparatione si quid interesset inter utramque, clarius eluceret. Nequaquam vero justas deprehendere potui caussas, cur huic orationi fidem derogarem, sed sententiis, quas in utramque partem protulerunt viri docti, accurate et religiose perpensis, ita ut nullam haberem nominum vel auctoritatum rationem, hoc mihi persuasum est: orationem quae exstet de haruspicum responso esse revera Ciceronis. Quod ut comprobem, opus est docere primum: ficta esse omnia, quae Wolfius ejusque socii intenderint crimina, alterum: omnia argumenta et ex veterum scriptorum testimoniis collecta et ex ipsa oratione sumpta pro Cicerone auctore pugnare.

Sed prinsquam ad accusationem infringendam progrediamur, ipsa, qualis sit, accuratius explicanda et definienda videtur. Nam etsi in hoc uno consentiunt adversarii, quod orationem illam, in qua orator responsa quaedam haruspicum, a Clodio in Ciceronis domum con-

¹⁾ Exhibita vera imagine universae, qualem Wolfius exercuerit, artis criticae Lahmeyer certam in hoc disquirendi genere vim ac rationem docet, qua instituta et quae contra auctoritatem nostrae orationis prolata sint argumenta et quae pro ejus fide pugnant plene perfecteque ponderavit.

²⁾ in libro s. laud. praef. XIII.

³⁾ in libro. I. praef. XLIII. ⁴⁾ praef. p. LIV.

versa, in ipsum interpretari traditur, spuriam appellant, tamen quomodo conscripta sit et a quo et quo tempore, vehementer inter se discrepant. Cum enim Marklandus¹⁾ totam orationem Valerio Maximo, Arnobio, Julio Victori notam, ab Asconio et Quintiliano landatam confictam esse putat atque editam decem illis annis, qui inter Valerii mortem et Asconium intersint, Wolfius²⁾ habitam quidem esse orationem censet, nostram vero a scholastico homine ex genuina, postea deperdita, compositam esse paucis annis ante Asconium, Orellius³⁾ autem et Bernhardyus⁴⁾ orationem nostram, quam alter inepto declamatori tribuit, alter bonis declamatorum scholis, ortum esse opinatur paullo post Ciceronem primis Augusti annis. Quae opiniones quam futes sint, mox videbimus, cum primum argumenta, quibus conclusae sint, examinaverimus. Ordiamur a veterum scriptorum testimoniis.

Ac Marklandi quidem sententia eo potissimum nititur, quod eadem fere verba, quae in c. IX §. 18. nostrae orationis leguntur, exstant apud Valerium Maximum I. § 1.⁵⁾ Cum enim eandem sententiam a Valerio aptius et magis latine expressam esse sibi persuasisset vir doctus, apparere jam censet falsarium hunc locum paululum variatum in suum opus translulisse eoque sub Ciceronis nomine edito Asconium, Quintilianum, Arnobium in fraudem induxisse. Ac si paullo attentius examinare vis nostrum locum atque cum Valerio comparare, manifeste apparebit, sola apta esse vocabula „pontificatus et augurium“ sensui, qualis requiritur in nostra oratione, quippe quibus contineri dicantur solennes cerimoniae et auctoritates rerum gerendarum, quum Valerius contra cerimonias illas et auctoritates explicari velit pontificum scientia et augurum observatione. Nemo enim certe negabit solennes cerimonias positas esse in pontificatu, i. e. in munere pontificis, minime vero in pontificis scientia, quam vocem aptiorem nostro loco iudicat Marklandus. Eodem autem optimo jure auctoritates rerum bene gerendarum ab augurio petuntur, ut illo quasi auctore res geri cogitentur, qui sensus Valerii velint verba: „Apollinis praedictiones vatium libris explicari“, nisi comparatione cum nostro loco omnino non intellegendum est. Quid? nonne jam satis apparet in utrum scriptorem mutuandi suspicio cadat? Adde quod Savels recte monuit, habere saepenumero verba Valerii quandam speciem interpretationis, atque non tam ex ipsis libris auctorum laudari quam ex memoria, atque facile concedes locum illum nostrae orationis, qualis hodie legitur, a Valerio esse excerptum, quod multo fit probabilius, si nobiscum reputamus Valerium sibi proposuisse memoria digna colligere e claris scriptoribus, quorum Ciceronem vel plurimi aestimaverit, atque perpauca tantum de suo ingenio addidisse. Sin vero illum locum reapse e Valerio desumpsisset declamator, sane mirandum esset, cur hoc uno contentus in tanta copia sententiarum ac praecclare dictorum non alia quoque, neque minus eleganter dicta, in suum opus transtulerit. Jam in constituendo hoc argumento justo audacius progressus esse videtur vir doctus.

At Valerius illum locum exscribere potuit integrum e genuina Ciceronis oratione, falsarius vero eundem interpolatum recipere ex eodem fonte. Jam audio, me in aliud iudicium vocari a Wolfio⁶⁾, qui cum facere non posset, quin vix credendum diceret, talem orationem

¹⁾ in Wolfii libro praef. p. LXXVII.

²⁾ Wolf, in l. l. praef. p. XXXIX.

³⁾ Orelli, onomast. I, p. 68, not 1.

⁴⁾ Bernhardy, Grundriss d. röm. Litteratur. 1872, p. 820.

⁵⁾ Val. Max. in libro dictorum factorumque memorabilium I, 1.:

Majores statas solennesque cerimonias pontificum scientia, bene gerendarum rerum auctoritates augurum observatione, Apollinis praedictiones vatium libris, portentorum depulsiones Etrusca disciplina explicari voluerunt.

⁶⁾ Wolf. pag. XX, pag. XXXIX, pag. XLIV.

a falsario ultro et sponte totam esse confictam, hanc nobis conjecturam propinavit: quam veteres laudarent orationem de haruspicum responso, revera esse Ciceronis, quam nos habemus in manibus, scholastici hominis esse declamationem, compilatis ex illa et rebus et sententiis compositam. Ac Valerii quidem verba nullo modo posse suffragari huic opinioni rationibus supra allatis satis docuisse mihi videor. Sed multo graviolem in promptu habet Wolfius suae sententiae auctorem. Asconius enim Pedianus ad Cornelianam (Orelli V, II, 69).¹⁾ ut Ciceronem in referendo eodem facto sibi non constare edoceat, orationis de har. resp. locum laudat (XII, § 24), quo P. Scipio Africanus traditur Megalensibus senatui secretas in theatro sedes dedisse, cui loco haec adjecta leguntur: hoc tributum esse senatui scribit sed sine mentione Megalensium. Quibus verbis Asconii iudicium de laudato illo loco Ciceronis contineri opinatus Wolfius apertissimum esse censet, in ea, quam Asconius in manibus habuerit Ciceronis oratione de h. r., nullam esse factam mentionem Megalensium. Atqui in oratione, quam nos ante oculos habemus, legitur: a Scipione senatui primam caeam tributam esse ipsis Megalesibus. Itaque satis perspicuum esse concludit vir doctus: aliam illam esse orationem genuinam, aliam nostram a falsario nonnullis vocabulis auctam. Sed locum illum Asconianum misere esse mutilatum jam Marklandus vidit, et docti viri, in primis Madvigius, qui eum restituere conati sunt, statuerunt ante vv. „hoc tributum“ etc. desiderari nomen cuiusdam scriptoris, qui in prodendo illo facto nullam fecerit Megalensium mentionem. Quis ille fuerit, non attinet quaerere, satis est scire, Ciceronem non fuisse, ad quem non posse spectare illa verba jam voce „scribit“ docemur, quae ad scriptorem potius quadrat, quam ad oratorem, praesertim cum Asconius ipse paullo ante de eo utitur vocabulo dicendi. Atque etiam tantum abest, ut pro Wolfio facere putemus illa verba, ut eo ipso, quod de Megalensium commemoratione disceptat Asconius, indicetur illis temporibus verbo tenus eandem exstitisse orationem, quam hodie habemus. Nonne enim illi ludi, qui in ipso Matris Magnae conspectu celebrari dicuntur apud Asconium in laudato Ciceronis loco, ipsa Megalensia sunt? Commemorantur igitur Megalensia, sola vox, quantum auguror, in loco ita corrupto excidit.

Jam vero Madvigius²⁾ acrius intendit crimen in nostram orationem ex eodem, de quo modo disseruimus, Asconii loco comparatum. Non enim neglegendum putat ab Asconio laudari orationem de haruspicum responso, nostram vero in omnibus codicibus inscriptam esse de harusp. responsis. Si quidem declamator ex vera oratione declamandi occasionem arripisset, nihil fuisse facilius, quam ex responso facere responsa, ut plura dicere posset. Atque hic prosperrime rem gessisse videtur Lahmeyerus³⁾, qui conatus est edocere, eam inscriptionem, quam Asconius servavit, nostrae orationi revera tribuendam esse. Observavit enim rectissime v. d.: quum de universo rerum responsionumque, quae omnes ex una tantum prodigii illius ansa defluxissent, complexo ageretur in nostra oratione, semper adhibitum esse simplex vocabulum „responsum“ quod facile colligi posset ex his locis c. V § 9 responsum haruspicum hoc recens in concione recitavit. — §. 10. reperietis ex hoc toto prodigio atque responso — c. 6 § 11 ex hoc haruspicum responso. — c. 9. § 18. gravitate responsi commo-

¹⁾ Asconius in Cornelianam (Orelli V, II, 69): in ea autem, quam post aliquot annos habuit de haruspicum responso, non passum esse Scipionem, sed ipsum auctorem fuisse dandi eum locum senatoribus videtur significare. Verba ejus haec sunt: Nam quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio nostri majores ante templum Matris Magnae fieri celebrarique voluerunt? quibus primum ludis ante populi consessum senatui locum P. Africanus II. eos. et collega ejus: Sempronio Longo tributum esse senatui scribit, sed sine mentione Megalensium.

²⁾ Madvig, de Asconii commentariis p. 76.

³⁾ Lahmeyer in l. l. pag. 27 et 28.

tum esse. — pluralem vero numerum „responsa“ occurrere, ubi singulae partes illius responsi percenserentur atque inter se opponerentur. Quamobrem cum de summa potius totius responsi universique ejus vi Ciceroni dicendum esset, aptiorem atque adeo solum rectum esse Asconianum orationis nostrae titulum apparere. Ac sane quidem vix dubium esse potest, quin cum de uno facto prodigiorum rēlatum esset ad haruspices, unum quoque responsum ad illam rem pertinens tulerint Romani, non diversa responsa. Immo si titulum antiquitus traditum retinere malimus, periculum est, ne in nostra oratione non tam illud notum responsum, quam omnino genus ejusmodi responsionum tractari videatur. Responsum vero in responsa facile potuisse mutari a librariis, qui complures res illi uni responso subjunctas conspicerent, quis est quin concedat? Quae cum ita sint, non errare nobis videtur, si omissa codicum auctoritate nostrae orationi Asconii titulum restituamus.

Quoniam igitur docuimus, argumentis quae ex veterum scriptis attulerint viri docti nihil inesse, quod nostrae orationi fidem derogare possit, nunc, quantum iis tribuendum sit, videamus, quae ex ipsa oratione petantur. Quorum quidem cum duo maxime sint genera, alterum ad res, alterum ad sermonem spectantium, ab illis incipiamus, quae longe gravissima semper visa sunt.

Ac primum quidem in eo falsarium posterioris aetatis sese deprehendisse putant Marklandus et Wolfius, quod in c. III, § 6 nostrae orationis Clodius dicitur devota et constituta hostia Milonis¹⁾. Nam cum Clodium quatuor annis post illud tempus, ad quod nostra referenda sit oratio, interfectum esse a Milone constaret, Ciceroni non posse imputari talia verba statuerunt, nisi forte eum stultum vel cerritum hominem haberemus, quippe qui non vereretur publice eloqui, quae intimo pectore cuperet. Contra multo esse verisimilius declamatorem posterioris aetatis, partium quas susceperit et temporum oblitum, res, quas factas nosset, alieno loco et tempore commemorasse. Sed nullam suspicionem movere possunt illa verba, dummodo teneamus, hoc loco de Clodio accusando agi, id quod voce. persequi, — accusare — reo — satis demonstratur: quamquam equidem non negaverim, subesse illis verbis aliquid ejusmodi, quod tacite caedem minetur, quod quam non abhorreat a Ciceronis animo et natura, documento est epistola illa ad Atticum scripta (IV, 3, 5) in qua videre se se, ait, Clodium a Milone occisum iri.²⁾

Deinde in eo graviter offendit Marklandus quod c. VI § 24 Lucius Claudius perhibeatur rex sacrorum. Nam cum constet, ad illum honorem homines nobili loco natos tantum potuisse aspirare, a Claudiis patriciis Lucii praenomen abdicatum esse Suetonius narret, sibi persuadet vir acutus, nostram orationem ab homine rerum Romanarum imperitissimo esse profectam. Sed vehementer dubito, num rei tam levi addenda sit tanta vis, quoniam, ut jam Gessnerus monet, littera L. facile corrumpi potuit ex C (Gaius), si quidem illa lex reapse tam religiose observata est, ac non potius statuendum est: illis reipublicae jam ad finem ruentis temporibus licuisse plebejo quoque homini ascendere ad munus regis sacrificuli.

Porro si ad c. XVI, § 35. adnotat Marklandus non se ipsum imperatorem appellasse Pisonem, sed a legionibus hoc nomen adeptum esse ex more, fugisse eum apparet, illa verba per ludibrium esse dicta. Scilicet imperatoris nomen, quod legionibus flagitantibus sibi arrogaverat Piso, a senatu non comprobatum est.

Tum in eo haeserunt viri docti, quod in nostra oratione de terrae motu tantum agatur, quum Cassius Dio XXXIX, 20 praeterea multa alia commemoret ostenta eodem tempore

¹⁾ cf. Lahmeyer in l. l. p. 31.

²⁾ cf. Lahmeyer pag. 31.

facta. Hic vero monendum est, quod Drumannus vidit, Dionis prodigia talia videri, quae cum terrae motu cohaerere atque eum plerumque sequi soleant. Quapropter consentaneum videtur statuere: Dionem singula ostenta in illo terrae motu edita, nullo iudicio adhibito, pro suo more miraculorum studioso aliquanto fusius tradidisse, Ciceronem vero illud unum modo attulisse, quod, ut caput omnium prodigiorum, maxime respectum esset ab haruspibus. Neutiquam vero ex hac dissensione ignorantiae opprobrium in nostrum scriptorem cadere potest, quippe qui horribilem motum in Piceno agro Potentiae factum tradat, quem Dio rursus ignorat.

Iam vero Wolfius pro certo habet falsarium se ipsum apertissime prodere in c. XXIV § 51, ubi immemor et loci et temporis nugarum suarum senatores ad legendam Clodii orationem invitet, quasi talem libellum paucis diebus interpositis omnes Sosii in columnis veuditare potuerint. Hoc vero iniuste atque injuste. Nam et ipsa oratione¹⁾ haud obscure indicare videtur nostrum oratorem contionem illam scriptam, fortasse a notario exceptam, in manibus habuisse, et quidni verisimile ducamus Clodium ipsum, quo majus Cicero odium concitaret, illam orationem scriptam pervulgasse, id quod postea Antonium fecisse notum est?

Denique quo jure Schützius ex monitis illis haruspicum responsis subiunctis concludat, scripta esse responsa, postquam Augustus principis nomine rem publicam sub imperium receperit, videre non possum. Nego me tanta divinatione esse praeditum, ut ex uno simplici vocabulo „imperii“ omnia, quae cupiam, elicere possim.

Jam intellegimus, quid valeant illa peccata Cicerone indignissima, quae in nostra oratione contra fidem historicam commissa esse contenderunt accusatores. Summa tantum adhibita vi in suam rem convertere atque interpretari potuerunt illos locos, qui ne levissimam quidem dubitationem admittent, dummodo eos simplici et incorrupto animo examinare velis. Sequitur ergo, ut videndum sit, num quid illis argumentis profecerint adversarii, quae ad sermonem Latinum maximeque Tullianum pertineant. Quo in genere quae crimina intenderint Wolfius et Marklandus, cum jam pridem a Gessnero, Klotzio²⁾, maximeque a Lahmeyer³⁾ sint diluta atque ita profigata, ut nulla amplius egeant defensione, restat, ut de iis potissimum disseram ejusmodi argumentis, quae conflavit Meerdervortius.

Satis est mihi hoc loco paucis tantum verbis universae artis criticae, qua usi sunt Wolfius ejusque socii in accusando sermone nostrae orationis, imaginem adumbrare. Atque cum principium semper habitum esset in tali quaestione uti exemplaribus optimorum codicum auxilio comparatis et emendatissimis, hoc certissimo fundamento caret Wolfii argumentatio. Nam etsi ipse profitetur, sese magnopere elaborasse, ut contextum sibi constitueret purum atque integrum, tamen defuit praeclarus ille codex Parisinus, quo collato ab Halmio atque diligenter excusso cognitum est, accusatores saepissime librariorum vitia et maculas frequenti usu aspersas tamquam auctoris peccata vexasse. Quo factum est, ut multae locutiones, in

¹⁾ c. IV, § 8. contionem habuit, quae est ad me tota delata.

²⁾ Klotz, in commentario ad nostram orationem.

³⁾ Lahmeyer in l. l. p. 46—50.

⁴⁾ cf. Gessner, praefat. p. XC. sequ. Lahmeyer p. X—XXI.

⁵⁾ Wolf, praef. p. XXII. ⁶⁾ in altera ed. Cicer. Orell. II, 2 praef. IX.

⁷⁾ e. gr. c. VIII p. 17. Wolfius legebat: quem aiebant ferre me posse nunc: ferri me — c. XII, 2 antea legebatur: in alteram scaenam immissam, hodie restitutum est: in alteram caveam Apparuit etiam lacunas esse c. XIII, § 29. alterum putabo regem etc. et c. XVII, § 36. et te ipsum tamen, ubi sensum misere perturbatum vexaverunt interpretes. Quae cum ita sint, mirandum est, quod Kayser nihilominus in sua opinione perseverat et neutiquam se Cicero gratulari posse, ait, de recuperatis orationibus post reditum habitis.

quibus defendendis summam impenderunt operam docti viri, nunc nullo indigeant patrocinio. 1) Sed cum hoc quodammodo fortunae ascribendum sit, alio opprobrio non prorsus liberari possunt Marklandus et Wolfius, quod ab initio paene sibi persuaserant totam orationem esse condemnandam. Qua ex praejudicata opinione illud vituperandi studium exortum est, quo tamquam ancipiti gladio non minus in ea invecti sunt, quae cum Ciceronis loquendi more congruunt, quam quae non iisdem verbis expressa in aliis ejus occurrunt scriptis, modo impudentis falsarii turpissimam compilationem sese deprehendisse rati, modo infantis rhetoris miserrimam declamationem. Sed si saepissime alioquin Ciceronem easdem res denno narrare ac repetere videmus iisdem verbis, cur non hoc idem licuit ei in nostra oratione facere? Cur hic potissimum centones dicuntur rerum et sententiarum repetitiones, quae in Pisoniana, Sestiana, aliis orationibus neminem offendunt? Inculcantur illae alieno loco et tamquam panni propriis rhetoris sententiis misere assuti sunt, inquirunt adversarii. At de hac re alii longe aliter sentiunt. Apparet igitur illud iudicium non tam ex certa via ac ratione suspensum esse, quam ex interiore animi sensu et velut gustu quodam singulorum, quo solo ducti Wolfius et Marklandus multo acrius versati sunt in declamatoris, quas putant, ineptiis exigendis. Sed quid sit declamatorium frigus, quid rhetoricus tumor, quid inepte et putide dictum, non ex veterum auribus examinare volunt, ad suum tantum suaeque aetatis gustatum interdum delicatiorem omnia revocant, obliti, aliam tunc placuisse eloquentiae speciem, aliam nunc. Praeterea fingunt sibi optimum specimen oratoris ex orationibus perfectissimis ac politissimis sumtum atque collectum, quo omnia sine discrimine metiuntur, quae Ciceronis nomine inscripta feruntur: si quid discrepare videtur, jam actum est de eo, suppositum, spurium est: quasi vero Cicero opera tantum omnibus numeris absoluta componere potuisset, ac non potius pro temporum et causarum diversitate et ipse diversissime dixisset. Nec Ciceronem magnum oratorem T. Quinctius defensus aut Licinius Archias faciunt — ut Taciti²⁾ utar verbis testimonio — Catilina et Milo et Verres et Antonius hanc illi famam circumdederunt. Nihil vero curant, quod magni videtur momenti, utrum in otio ac secundis curis domi composita sit oratio,⁴⁾ an in foro vel in senatu extemporali, ut ita dicam, facultate fusa. Interest enim profecto aliquantum inter eam Milonianam, quam nos in manibus habemus, et eam orationem, quam revera pro Milone habuit Cicero, et aliam orationem in curia effudit in Catilinam, aliam scriptam reliquit. Quibus rebus neglectis pedetentim eo processerunt partium studii viri acutissimi, ut saepenumero, ubi primum quid iis displicuit, omnibus ingenii et doctrinae viribus eniterentur, ut illud in suspicionem vocarent neque dubitaverunt partim argutias captare, partim uti vi atque injuria, ut sibi compararent quas petebant ineptias. Quid mirum? volunt accusare et volentibus nihil arduum: id quod in Wolfium potissimum cadit. Non id agit vir doctus, ut religiose examinet⁵⁾ quae fides nostrae orationi habenda sit, sed suppositum opus sese

¹⁾ cf. Lahmeyer in I. I. p. 34.

²⁾ Ps. Ascon. ad Verr. II, 1,3 proprium Ciceronis eandem saepe sententiam dicere et uti eloquentiae diversis modis, iisdem sententiis tamen ab aliqua occasione repetitis.

³⁾ Tacitus, dialog. c. 37.

⁴⁾ quid? quod ipse Cicero in epist. ad Atticum III, 12, 2 non verecundatur confiteri: orationem aliquam ita negligenter esse scriptam, ut non esse suam probari posse putet?

⁵⁾ ut si res commemorantur, quas aliunde non novimus, credat Judaeus Apella, clamat, non quisquam Christianorum. in comment. ad. §. 42.

tenere statuens, falsarium exagitare studet¹⁾, quod ut consequatur, omnia experitur. Itaque factum est, ut ingeniosa quadam improbitate praeter modum abreptus nihil audiat nisi inanium verborum strepitum, nisi meram balbutiem, ut eum taedeat deliramenta ad rationem redigere, denique ut tota oratio ei sordeat.

Hanc Wolfii quaerendi rationem Beckio, Schützio, aliis v. d. aut plane comprobata esse, aut ita ut uno ore omnes orationem de har. resp. condemnarent, jam initio commemoratum est. Sed cum illi viri maxima ex parte in retractandis Wolfii et Marklandi argumentis acquieverunt, nisi quod Schützius pauca quaedam et levia addidit, quae a Lahmeyero jam refutata sunt, Meerdervoortius, Wolfii rationibus ductus, conatus ejus non sine aliquo fructu continuavit et auxit. Is enim ad subtilitates linguae et maxime ad tenuissima Tulliani sermonis discrimina animum intendit et permulta vestigia alienae manus et mentis a Tulliana abhorrentis acutis naribus indagasse sibi videtur. Quibus argumentis quantum sit tribuendum ut perspiciamus, quaeramus deinceps, ut par est, primum, num quid in grammatica ratione contra praecepta linguae latinae commissum sit in nostra oratione, num sententiae reperiantur ineptae, quae declamatorem potius redoleant, quam summum oratorem, tertium, num in elocutione et in deligendis singulis verbis peccatum sit contra usum, qui dicitur Ciceronis peculiaris. Ceterum, ut hoc praemittam, non vereror ne cui forte longior videar in exigendis Meerdervoortii criminationibus, quum id mihi proposnerim, ut auctoritatem ejus viri infringam, qui praeceptis Bakii et Cobeti vir. ill. sese instructum profiteatur, in quo ad tuendum Ciceronis nomen in nostra oratione et ipse pauca quaedam nova addidisse mihi videor.

Ac primum quidem, ut illud repetam, in grammatica ratione una tantum gravior offensio occurrit, quae jam ab Haasio (ad Reisig's Vorlesungen etc. p. 478 not. 441) notata est, quod c. XI § 22 „haud scio an“ legitur, ubi ex Ciceronis loquendi more „haud scio an non“ dicendum erat. Quem locum sine dubio corruptum quoquo modo explicare atque emendare volumus, sive cum simpliciter statuimus particulam „non“ excidisse, sive putamus cum Handio, Turell. III, 24: „haud scio an“ librariorum incuria ex „haud sane natum“ esse, vel ex „haud scio num“, sive denique, id quod Lahmeyerus²⁾ suadet, ejicimus totum locum, ut interpositum explicationis causa ab inepto grammatico posterioris temporis, hoc certe constat, et in eo omnes docti viri consentiunt, hac una re nihil probari posse neque ullam moveri suspicionem, praesertim cum eandem ipsam legem, contra quam hic peccatum est, optime observatam videamus c. V, § 10 et c. VII, § 14.

Deinde quod Lahmeyerus³⁾ vocem refertus, a, um in c. XIII, § 28 insolenter cum genetivo rerum, ut dicere solent grammatici, conjunctam esse putat, ignorasse videtur ipsum Ciceronem hoc idem sibi sumpsisse in Verr. act. II, I § 120, ubi Italia plena ac referta fanorum dicitur.

Porro intellegere non possum, cur Meerd. in c. III, § 6 locutionem „valde est iniquum“ contra leges linguae latinae positam esse putet et conjunctivum postulet, quem dicunt grammatici protentialem. At ne ipse quidem justas in promptu habet causas, quibus nos ad suam deducat sententiam, nisi istud: sic volo, sic statuo. Satis mihi est accusatorem ad grammaticos rele-

¹⁾ Wolf. p. 342, quidni liceat interdum illudere scriptori, ubi indignus est seria reprehensione.

²⁾ Wolf p. 305 u. 350.

³⁾ Lahmeyer in l. l. pag. 34 et 35.

⁴⁾ idem in l. l. pag. 36.

⁵⁾ Meerdervoort p. 19.

gare e. gr. Seyfferti ubi § 247. agitur de hoc genere indicativi, quem nostro sermone conjunctivo reddere solemus.

Neque minus erravit M. in c. V § 8 ubi in verbis: „viri oculis ne imprudentis quidem aspici fas est“ magnum quid contra rationem grammaticommissum se deprehendisse putat. Sed ipsum audiamus: „ante vocabulum fas, inquit, requiritur negatio ad significandum nulli viro licuisse adspicere Bonae Deae sacra; aliter enim prorsus inepta foret additio particulae ne quidem“. Itane? Sed fac illam negationem additam esse, num habes illum sensum, quem inesse illis verbis opus est? Immo, prorsus alienum, quoniam „ne quidem“ idem valet atque „etiam non“, duae vero negationes in eadem enunciatione positae sensum efficiunt affirmativum. At non vidit vir doctus vim negandi, quae inest in particula ne quidem, ad totam enunciationem pertinere eamque complecti, quam rem satis notam ut comprobem, unum tantum Ciceronis locum afferam, de offic. II, § 84: iidem gloriae jacturam ne minimam quidem facere vellent.

Qua vero vi quantaque temeritate omnino in nostram orationem invectus sit Meerdervoortius, nunquam clarius cerni potest, quam ex ea ratione, qua utitur ad accusandam locutionem: nec vereor — ne non in c. VIII, §. 16. Nam cum statuatur, particulam non ante voc. grata positam, non nisi ad hanc referri posse secundum praecepta latini sermonis, hanc sententiam e nostro loco elicit, ut praedicatio Ciceronis ingrata potius quam arrogans dicatur, qualem sensum prorsus abhorrrere a nostro loco neminem jam negaturum putat. Sane, verum hoc quoque pro certo dici potest, neminem fore, quin vehementer improbet, tam improbe perturbari ea, quae sint clara atque perspicua. Sine dubio particula non illum locum occupat, ut vox grata majore vi pronuntiari et quasi in arsi poni possit. Quid? verba Ciceronis. ad fam. II, 1, 4: non vereor, ne non scribendo te expleam, nonne simili ratione explicare possumus, si illud non scribendo in tacendo pervertimus? In tantis ineptias neminem posse delabi constat, nisi qui sibi proposuit vitia investigare. Si non insunt, finguntur.

Haec sunt graviora peccata, quae accusator in nostra oratione contra leges grammaticas commissa deprehendisse sibi videtur, progrediamur nunc ad examinandas eas sententias, quas summo oratore indignas putat.

Ac primum quidem locutionem c. I, 2 „sine suo vultu consistere“ graviter accusat M. ineptissimum est, inquit, hoc sine vultu. Itane? quem vultum semper praebere consuevi, nonne is optimo jure meus vocatur vultus? quod vero sine aliquo vultu homo cogitari non potest, num ex eo sequatur necesse est, hominem non posse quodam tempore fingi sine suo vultu, ita ut consuetus ille faciei status in alium mutatus sit? Recte igitur et apte Clodius narratur fuisse sine suo vultu, sine noto illo audaciae pleno, cum se impotens prae furore e curia proripuerit.

Deinde cum Wolfius jam in c. III, § 4 locutionem ambustus religiosissimis ignibus phrasim festivae audaciae appellasset, nondum satis defensam ab interpretibus, Meerdervoortius longius progreditur, quum dicit: „ambusti vocabulum e Miloniana c. V, 12 est surreptum, ubi tribunus plebis figurate dicitur ambustus, quippe qui vix capitale crimen evaserit: sed Clodium, inquit, fingi ignibus illorum sacrorum, quae violavisset, ambustum esse eosque ipsos ignes dici religiosissimos, mirum in modum ineptum est.“ Hic primum

¹⁾ Meerd. p. 52.

²⁾ Meerd. p. 55.

³⁾ Meerd. p. 43. ⁴⁾ idem p. 47.

error notandus est, in quem incidit doctus castigator Ciceronis. Nam ambustum tr. pl. in Miloniana dici T. Munatium Plancum, non quod e capitali crimine elapsus sit, sed quod paene oppressus sit flammis Clodiani rogi et incensae curiae jam Asconius nos docet in annotatione ad locum laud. apud Orell. V, 2 p. 43. Tum autem, quid sibi velit haec vox ambusti, ut statuas, de quo interpretes magnopere inter se dissentiunt, videndum est, qua ratione aliis locis a Cicerone adhibita sit. Atque propria hujus vocis vis e Sestianae c. XVIII, § 143 optime cognoscitur, ubi Hercules rogo impositus ac flammis circumseptus dicitur ambustus. Quodsi eodem vocabulo usus est Cicero de Planco, qui ante curiam flagrantem incitavit multitudinem, cujus scelere ac furore ipsa incensa erat curia, si Verrem II, 1, 28. appellat ambustum sociorum illo incendio, quod ei ob flagitiosum quoddam facinus parabant Lampsaceni, significare mihi videtur, flammis, in quibus versantes commiserint illud factum improbum ac sceleratum Munatius et Verres, esse iis maculam infamiae et turpitudinis quasi iniustum. ¹⁾ Qua quidem explicandi ratione ad nostrum locum adhibita sensus efficitur praeclarus et factus. Quum enim Clodius in Bonae Deae sacrificio cum Pompeja stuprum facere conatus magnam sibi ignominiam conflasset, carpitur a Cicerone per ludibrium, quasi suam famam religiosi illius sacrificii ignibus adusserit atque laeserit. Omnia igitur clara et perspicua, nihil inepte, nihil audacter dictum, dummodo Ciceronem ex ipsius ingenio ac moribus explicare velis. —

Jam vero argutias captare nobis videtur M. ad c. III, § 6 ubi negat Ciceronem ²⁾ esse restitutum opera Milonis, quippe qui Clodii furores tantum compresserit. Nolo afferre quod ipse Cicero in or. p. hil. § 102 dicit: „revocare tu me in patriam Milo potuisti?“ ad certum rerum Romanarum auctorem Vellejum Paterculum velim adversarium delegare, cujus in l. II c. 45 haec fere leguntur: virtute atque actione T. Annii Milonis tr. pl. dignitati patriaeque restitutus est Cicero.

Porro ad c. IV § 7 M. prorsus otiosa putat verba: sed etiam appetivit se. inimicitias, ³⁾ quum hoc sensu nullum discrimen sit inter suscipere et appetere. Minime, nam qui suscipit inimicitias ita cogitandus est, ut eas tamquam onus officio imperante in humeros suos quasi imponere videatur, sed qui appetit aliquid, eum libenter et ultro illud suscipere perspicuum est. Praeclare igitur Cicero, Milonis in se merita describens, hoc potissimum agit, ut declarat quam parato animo ac prompto fuerit Milo in laboribus pro Ciceronis salute opetendis, quod ut facerent ceteri aegre tantum adducti sunt.

Deinde cum offendit M. ad c. V § 10 in locutione, „praemonere de scelere ac furore ⁴⁾ alicujus“, quoniam praemonere de rebus tantum futuris dici possit, a sceleribus vero jam pridem commissis neminem jam posse cavere manifestum sit, ignorare videtur vocem sceleris nonnumquam plane idem valere atque impietas, animus scelestus, quod multis locis Ciceronis confirmatur cf. p. Sest. 4, 14, 22, 53 in Cat. I. §. 8, II. §. 11, 25. In primis scelus ac furorem solet Cicero tribuere hominibus nefariis ac scelestis, sicut Verri in Verr. X., §. 161, Catilinae, in Cat. I, § 15, Catilini in Cat. III. § 4, Gabinio et Pisoni in Pis. XII. § 26.

Tum prave addita esse putat M. in c. VIII, § 17 verba: ut opinor, quoniam Cicero ⁵⁾ ingemescendi mentionem facere non potuisset, nisi illud ipse animadvertisset. Sin autem audivisset, non licuisset ei dicere: opinari tantum sese audivisse illud. At bene novit Cicero quid sit factum, sed Meerd. ignorat Ciceronem saepius in referendis rebus, quas non ita

¹⁾ Meerd. p. 48. ²⁾ idem p. 50.

⁴⁾ Meerd. p. 53. ⁵⁾ idem p. 57.

magni habeat, dubitandi speciem praebere, proinde ac si non multum intersit utrum sciat necne, id quod confirmatur locis in Verr. IV, § 4 et 5: Is dicebatur esse Myronis, ut opinor, et recte. Idem artifex, opinor, ejusdem modi Cupidinem fecit.

Manifestam vim autem inferre videtur nostrae orationi M. ubi c. XV § 33. incusat verba: „tu meam domum religiosam facere potuisti? quo pulvinari?“ inepta, inquit, locutio, siquidem domus sancta fit ejus consecratione a pontifice, non antem sancta fieri potest ipsa actione ponendi in eam (sic!) pulvinaris et simulacri. Nonne haec pervertendi atque depravandi potius ratio est, quam interpretandi et examinandi? ¹⁾

Porro Meerd. C. Graccho magnitudinem animi falso esse tributam arbitratur in c. XX, § 43 quum magni animi fuisset non tam expetere poenas mortis fraternae, quam ignoscere interfectoribus et operam dare, ut oblivione obruatur illud facinus. At quam non eum in cognoscendis veterum moribus versatum esse putamus, qui ejusmodi paene christianae doctrinae praecepta inculcare studeat viris vere Romanis, qui nihil aequius, nihil justius, nihil dulcius statuerunt, quam hostem interimere et acceptas injurias ulcisci. Magnitudinem vero animi, qua impelli dicantur homines ad poenas exigendas, nihil aliud esse nisi animum fortem, qui non impune lacessatur, Cicero nos docet in Tusc. quaest. III, § 15 et in libro, qui est de officiis I, 19. ²⁾

Sed jam nimis multa de hoc genere criminum. Quoniam igitur docuimus nullas ineptias occurrere in nostra oratione, nisi quas intulerit accusator ipse, restat ut quaeramus, id quod tertium est et maximum, num usus singulorum verborum abhorreat a Cicerone.

Ac primum quidem contendit Meerdervoortius ad c. I, § 1 „vobis inspectantibus“, vocem inspectandi a Cicerone de iis tantum hominibus adhiberi, qui quod videant, libenter videant vehementerque probent. Quem sensum illi voci subesse in duobus ab illo allatis locis p. Sest. XV, 33 p. Rabir. XII, 34 etsi facile concedo, tamen vera ejus verbi vis non tam in libenter intuendo quam in quiete et otiose spectando posita esse videtur. Immo nonnunquam eos dicit Cicero inspectantes, qui coacti sunt adspicere aliquid otiose, quod ne fieret certe summam darent operam. Maxima vero ex parte hoc verbo nihil aliud effici vult Cicero, ac si dicat: habere in conspectu vel ante oculos, id quod confirmatur his locis: de imp. Pomp. §. 33 cum prope inspectantibus vobis classis a praedonibus capta atque oppressa est. II Verr. IV, § 24, hinc illa crux, in quam iste civem Romanum multis inspectantibus sustulit. II Verr. V § 155 inspectantibus omnibus Syracusanis securi percussus est. Atque pari modo nostro quoque loco explicandum est inspectantibus vobis: ante ipsos vestros oculos. ³⁾

Deinde quod adnotat ad c. II, 3 M. apud Ciceronem locutionem prohibere aliquid ab aliquo eo tantum sensu occurrere, ut illud contra hoc defendi cogitandum sit, vehementer errat. Nam verbo prohibendi saepius vim arceudi inesse cum multis aliis locis Tullianis docemur, tum orationis in Verr. habitae c. III, § 144, ubi legimus: quod praedones procul ab insula prohibuisset.

Quae vero disseruit M. ut locutionem c. IV, § 7 illaqueatus legum periculis eiciendam edoceret, nihil prorsus valent ad illam infringendam; in hoc uno, si recte ea examinare vis, omnia quae protulit, concinunt: non potest dici. Sed cur? quia aliis locis a Cicerone usurpatur legum laqueis constringere. Sed laquei, quibus leges reum includunt, nonne pericula ⁴⁾

¹⁾ Meerd. p. 67. ²⁾ idem p. 76.

³⁾ Meerd. p. 41.

⁴⁾ Meerd. p. 46.

sunt intellegenda, quae leges reo portendunt? nonne igitur is, cui iudicium est extimescendum, legum periculis quasi laqueis jam implicatus videtur?

Jam quibus rationibus demonstrare studuit accusator ad c. VI § 11 locationem; stilus Clodii ore tinctus a Ciceronis loquendi usu abhorrere, nihil prorsus profecisse videtur: „contra Ciceronis loquendi usum, inquit, dicitur stilus Clodii ore tinctus, ad significandum P. Clodium per fratrem (sic!) scelera sua conscripsisse, metaph. enim apud Ciceronem adj. tinctus pro aliqua in re ita versatus dicitur, ut ea imbutus et quasi tinctus videatur.“ Quid enim? stilus ore tinctus nonne igitur explicandus est impudentia et procacitate imbutus? Praeterea Ciceronis castigatorem nosse oportebat, Sextum illum Clodium non fratrem esse Publii, sed libertinum quendam, obscuro loco natum, quod Asconius narrat ad Mil. VIII.

Porro quod verbum deterrendi sensu a sententia vel proposito avertere aliquem a Cicerone de personis tantum adhiberi putat ad c. IX § 18, ignorasse videtur hos locos Tullianos qui contra faciunt: Tusc. quaest. I, § 91 itaque non deterret sapientem mors, ad fam. V, 12, 1 deterruit me pudor quidam.

Parum vero mihi perspexisse videtur adversarius quam vim habeat vox „etenim“, quam quum a Cicerone tantum ad proximam sententiam corroborandam adhibeatur h. l. abruptam et sine ulla ratione positam esse censet. Nimirum fugit hominem, particula illa Ciceronem saepius uti non tam ad praecedentia confirmanda, quam quum in argumentatione progrediatur, ut fere idem valeat ac; porro, praeterea. Quod ita se habere facile colligi potest ex his locis, de fin. I, 1, § 5 (cf. Madvig) Tusc. quaest. III, 20 pro Balb. XXIV, 32.

Cum vero pro certo dicat M. apud Ciceronem nunquam nisi in nostrae orationis c. IX, § 19 inesse verbo retinendi vim conservandi, longe a vero aberrasse videtur. Nam eandem, quam negat potestatem hujus vocis, non modo ex his locis cognoscimus: p. Sulla XXXII vestigium pristinae virtutis retinere, de divin. II, 35 jus angurum conservatum ac retentum, sed etiam quos ipse attulit, ut suam confirmaret sententiam: de agr. II, 14, 35 p. Planc. IX, 23 manifeste contra eum pugnant.

Deinde parum probatur accusatori, quod in c. X, § 21 summa cum caerimonia legitur, quoniam in exsequendis sacris ritibus, quibus constare putat caerimonia, nulli gradus cogitari possint. At Ciceronem aliter sensisse satis docemur, si conferamus: pro Balbo XXIV, 55, summa religione caerimoniaque — in Verr. V, 36, maxima cum cura et caerimonia — eod. l. § 187 maximis caerimoniis —.

Jam quod spectaculorum vocem false et contra usum Tullianum adhibitam esse pro cavea vel ipso theatro in c. XI, § 22. sibi persuasit accusator, conferat locos infra allatos p. Sest. LVIII, § 124 plausus ex omnibus spectaculis p. Murena XXXIV, §. 72. spectacula tributim data.

Porro ubi adverb. aperte XIV, § 30 non ex Ciceronis loquendi more scriptum esse putat M., monendus est, illam vocem apud Ciceronem maxima ex parte idem valere ac manifestum, perspicuum est, raro tantum significare: ante oculos, in conspectu hominum. Itaque nostro loco Sejus, quippe quem per Clodium necatum esse apud Ciceronem omnesque alios senatores constaret, apertissime a Clodio interfectus dicitur. Atque ejusdem facinoris arguitur Clodius in orat. p. domo § 115 his ipsis verbis: hominem veneno apertissime sustulit.

Deinde quod ad XVII § 37 adnotat M. a Cicerone tantum homines ejusdem aetatis

1) Meerd. p. 54. 2) idem p. 58.

3) Meerd. p. 61. 4) idem p. 62. 5) idem p. 63.

6) Meerd. p. 66. 7) idem p. 69.

aequales appellari, nunquam res, quamobrem sacrificium non posse urbi Romae aequale dici, ignorasse videtur locos Tullianas: Phil. XI, 13, 33, ejus (Dejotari) benevolentia in populum Romanum est ipsius aequalis aetatis. de leg. I, 1. aequalem suae aetatis memoriam deposcit de leg. II, 4, 9 quae vis — aequalis illius coelum ac terras regentis dei. pro Mil. XXXI, § 85 arae, sacrorum pop. Rom. sociae et aequales.

